

J. DAVISII P R Æ F A T I O.

Nemini latet permultos esse, qui moleste ferunt, & indignantur; doctorem virorum labores truncatos exhiberi: integræ autem variorum animadversiones, sine modo cumulatæ, aliis non arrident, iisdemque sæpius repetitis Codicum molem, solo Librariorum commodo ausam queruntur. Ut horum utrisque, quantum in me erat, facerem satis, nihil equidem lubens omisi, quod CÆSARI illustrando aut emendando posset inseruire: politicas tantum & inanes observationes resecuri, diligenter interim inuigilans, nè recoctæ crambæ Lectorum nauseam mouerem.

Cum verò intelligendo Scriptori nobilissimo priorum interpretum curæ non sufficerent, meas quoque notas adieci, in quibus non modo Historiam & locutiones illustravi, sed & nisi fallor, veram lectio-nem sæpius vindicantem, compluresque mendas ope Codicum, aut ex ingenio, sublatas inuenies. Huic præstando subsidia non leuia ministrarunt MS. & impressus Romæ A. D. MCCCCLXXII. quorum utrumque pro summa sua, ac singulari humanitate mecum communicare dignatus est vir præstantissimus JOANNES MORUS, Episcopus Norvicensis. Haud parum etiam profuerunt editi. Veneta anni MCCCCLXXXII, Beroaldina MDVIII, aliæque veteres, quas amici mihi suppeditarunt. Illis propterea gratias quam maximas habeo atque ago.

Binos indices præcedit Metaphrasis Græca librorum VII. de Bello Gallico, quam MAXIMO PLANUDI aut THEODORO GAZÆ adscribunt viri eruditi. Quicumque demum sit auctor, vitiosis sanè codicibus est usus, & Linguam Latinam minus calluit; unde factum, ut à CÆSARIS mente passim aberrarit, & ineptum sensum procuderit: ideoque non meæ voluntati, sed aliorum votis sum obsecutus, cum eam interpretationem hic representandam iusserim. Utrum verò emendatè recudatur, nescio; oculorum enim imbecillitas fecit, ut tum temporis ei corrigendæ non essem.

Fieri vix potest, quin in tanta rerum varietate interdum somnus obrepserit: quod si me dormitantem Lector deprehendat, eandem benignitatem, quam ipse aliis præstiti, mihi, si æquus est, non denegabit; acerborum autem & iniquorum hominum iram placare non a-grediar; inanes enim preces fundere non fert animus.

Dabam CANTABRIGIÆ a. d.
IX. Kalendas Martias,
M D C C V I.